

tia refutatur. Progressus superiore seculo longius fuisset Franciscus I. nisi Perpiniensi obsidione labefactasset vires, nec in Gallia acquievisset Carolus V. nisi Sandefiriana oppugnatione fuisset debilitatus, b) Quantopere autem nostra memoria Friberga Hermundurorum obsessa, Svecorum minuebat victoriam? c) Contra Darius nullis copiis resistere poterat Alexandri irruptionibus, quæ res etiam Alexandrum movebat, ut Susam & Babylonem præsiidiis firmaret, Militibusq; Macedonicis custodienda traderet. d) Quæ Mactiavellus contra propugnaculorum usum disputat, vide apud Schönbornerum e) qui tamen objectiones solvere non audeat, nisi adductis contrariæ partis rationibus. Legat etiam qui velit, Consultationem quam Comes Savorgnanus cum Tullio Petrozanno de Casalensi arce habuit, referente Forstnero f) ex A. Possevino g)

a) tr. de princ. cap. 20. b) Forstn. p. 176. c) Brachel. lib. 6. pag. 58. d) Curt. lib. 5. e) Politic. lib. 4. cap. 13. f) ad Tacit. Ann. lib. 11. cap. 19. g) lib. 8. hist. Mantuan.

XIV. *Firmissimum oppidis ornamentum civium est numerus,* 3. Multitudine hominum  
*a) nec mœnia sed viri civitas. b) Quo plures enim in fasciculum* cap. 8.  
*coeunt sagittæ eo minus frangi possunt. c) Ergo ante omnia de*  
*multitudine augenda merito cogitabat Romulus noster, quæ qui-*  
*dem si in immensum accrescat, omnibus rebusp. non prodest,*  
*isti tamen apprimè fuit utilis. Quidam enim suis finibus con-*  
*tenti, istud Paridis d)*

*quas habeo Dii tueantur opes*

inter præcipua vota ponere solent, ut olim Athenienses, hodie Veneti & Helvetii e) quos nimia multitudo obruit, mediocris conservat, & hæc est ea paucitas quæ Longobardos nobilitabat, f) Quidam autem alia aliâq; appetunt loca, & Caroli V. *PLUS ULTRA*, constanter actionibus exprimendum censent, id quod sine hominibus fieri poterit, cum Athenienses vento Aquilone Lemnum proficiscentur. Incolarum inopia nostro tempore præcæteris celebris est Hispania, & licet Philippus III. anno 1623. Lupanaria, conjugiorum ista & liberorum procreandorum impedimenta, extirpaverit, multaq; privilegia & varias immunitates concesserit festinantibus conjugium: g) damnum tamen Mauro-rum & Judæorum proscriptione illatum, ubi supra nongenta  
 millia